



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

12. De Disciplina Benedictorum & Bernardinorum eadem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

ticula folio 42. De visitationibus faciendis à ministris prouincialibus, 10. particula, folio 42. De visitationibus custodum & eorum officio, 11. particula, folio 42. De visitationibus quotidianis à Gardiano faciendis, 12. particula, folio 43. De commissarijs & visitatoribus particularibus aliquorum conuentuum ordinis, 13. particula, folio 42. Qualiter à prælatis debent foueri excellentes in deuotione & obseruantia strictiori, 14. particula, folio 43.

*Bernardus
in serm. de
S. Benedicto
Benedictus
legifer no-
ster.*

*De disc. Mo-
nastic. Bene-
dictin. & e-
ius reforma-
toribus mul-
ta habet D.
Arnoldus
Vion in li-
bris quinque
Ligni Vitæ,
li. 1. 2. 3. 4. 5.
& li. 5. c. 13.
ex Bedali. 2.
hist. Angl. c.
4. quod Bo-
nifac. 4. con-
uentu Episc.*

CAPVT XII.

*De Disciplina Benedictinorum, & qua eadem est,
Bernardinorum.*

Quoniam Regula S. Benedicti est passim ob-
uia, tantum decerpam & quasi digito indica-
bo ea, quæ ad nostrum spectant argumentum, ca.
58. regulæ agitur de discipl. na suscipiendorum
fratrum, cap. 23. De excommunicatione culpârû,
cap. 24. qualis esse debeat modus excommunica-
tionis, cap. 25. de grauioribus culpis, capitulo vi-
gesimo sexto. de his, qui sine iussione Abbatis iun-
gunt se excommunicatis, cap. 27. Qualiter Abbas
solicitus esse debet circa excommunicatos: cap.
28. De his qui sæpius correpti sese non emenda-
uerint, cap. 30. De pueris minore ætate qualiter
corrigantur, cap. 44. De his qui excommunican-
tur, quomodo satisfaciant, cap. 46. De his qui in
aliquibus leuibus delinquant. Cardinalis Turre-
cremateus in explicatione Regulæ S. Benedicti,

in cap. 2. tractatu 12. agit de multis malis, quæ pro-
 veniunt ex dissimulatione culparum. Idem tra-
 ctatu 21. cap. 4. de abrenunciatione & castigatio-
 ne carnis, idem tractatu 57. cap. 5. de obedientia
 discipulorum qualis esse debeat, & in capitulo
 vigesimo primo, tractatu 80. De Decanorum &
 Præpositorum correctione, in cap. 23. tractatu 83.
 De excommunicatione delinquentium, & quod
 sit amanda correctio, in capit. 24. tractatu 83. De
 qualitate & modo excommunicationis, in capit.
 25. tractatu 84. De grauioribus culpis, vbi de cau-
 sis, propter quas timenda est excommunicationis
 sententia, in capitulo vigesimo sexto, tractatu o-
 ctuagesimo quinto. De vitandis excommunica-
 tis, in capitulo 27. tractatu 86. De sollicitudine,
 quam debent habere Prælati circa excommuni-
 catos & delinquentes ne pereant, in cap. 28. tra-
 ctatu 87. De his qui se nolunt emendare, quam-
 uis correpti, & quam graue malum sit incorrigi-
 bilitas, in quo capite ponuntur septem gradus
 disciplinæ regularis, in capitulo 30. tractatu 89.
 Multa de correctione & institutione puerorum,
 in capitulo quadragesimo quarto, tractatu cen-
 tesimo nono. De satisfactione excommunicato-
 rum vel pro leuioribus, vel pro grauioribus cul-
 pis, in capitulo quadragesimo sexto, tractatu cen-
 tesimo & vndecimo. De emendatione culparum,
 quæ in exterioribus quibuslibet, vel etiam in so-
 la conscientia committuntur, in capitulo quin-
 quagesimo octauo, tractatu centesimo vigesimo
 quarto. De disciplina suscipiendi fratres ad reli-
 gionem, vbi de discretionem habenda à Prælato

*Roma habi-
 to labentem
 monachorū
 disciplinam
 ceercuerit.*

in ipsorum receptione, in capitulo sexagesimo secundo, tractatu centesimo trigesimo sexto. De sacerdotibus Monasterij, & eorum ordinatio reuel correctione, in cap. 63. tractatu 137. De singulari cura habenda circa nouitios, in cap. 65. tractatu 140. De correctione Præpositi. Smaragdus in cap. 23. Regulæ S. Benedicti De benedictione culpârû, in cap. 24. Regulæ, Qualis esse debeat modus excommunicationis, in cap. 25. de grauioribus culpis, in cap. 28. Qualiter Abbas esse debeat sollicitus circa excommunicatos, in cap. 28. De his, qui sapius correpti emendare se noluerint, in cap. 30. De pueris minoris ætatis qualiter corripiantur, in cap. 44. De his, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant, in cap. 46. De his qui in aliquibus leuibus delinquant, in cap. 58. De disciplina suscipiendorum fratrum. Hæc obseruata ex regula S. Benedicti & eius interpretibus propriè ad Disciplinam pertinent, quæ studiosus Lector inspiciat: nam breuitatis amore ista describi non possunt. etenim iustum librum vel sola imple-
rent.

Trithemias Abbas quatuor libros scripsit de Viris Illustribus ordinis Sancti Benedicti, in quorum priore capite septimo eleganter docet vigente disciplina & moribus reformatis admodum creuisse ordinem in bonis spiritualibus & temporalibus, inter cætera in fine capitis sic loquitur, conseruauit ordinem multis temporibus in sua prima institutione industria prælatorum, studium scripturarum; zelus disciplinæ & correctionis ~~seueritas~~, capite octauo sequentis libri

libri prioris contra ostendit quādo deferbuit ze-
 lus Disciplinæ & correctionis seueritas, quando
 amor terrenus ordinem disciplinæ confudit de-
 fecisse optimum calorem sanctæ religionis. spi-
 ritualibus autem neglectis iusto Dei iudicio et-
 iam temporalia defecisse. cap. 9. seq. recenset o-
 cto particulares Reformationes factas tempori-
 bus diuersis, nullam autem generalē ordinis re-
 formationem factam esse affirmat. & tandem his
 pulcherrimis verbis concludit caput. Qui olim,
 filijs Israel temporibus Iudicum peccantibus, &
 suis demeritis aliquoties castigatis, misertus, sem-
 per prouidit saluatorem; ipse etiam ordinem S.
 Benedicti peccatis nostris toties collapsum, post
 diurnam calamitatem misericorditer intuens,
 ad libertatem spiritus pristinam dignatur refor-
 mare; & qui deficientibus iudicibus colliditur, a-
 lijs surgentibus denuò restauratur. cap. 10. libri 1.
 ostendit multos Pontifices Innocentium 3. Cle-
 mentē S. Benedictum 12. rebelles per censuras Ec-
 clesiasticas ad obseruantiam Statutorum compu-
 lisse, vt quos amor Dei ad disciplinam non po-
 tuit allicere, timor potestatis adduceret, iusse-
 runt etiam Capitulum generale de triennio in triē-
 nium celebrari & mandasse etiam Cardinalem
 Nicolaum à Cusa Legatum per Mogūtinam pro-
 uinciam, vt irreformati infra anni spacium sub
 pcena amissionis omnium Priuilegiorum, refor-
 mationi colla submitterent. in cap. 11. allegatur c.
 in singulis. De statu Monachorum, vbi præcipi-
 tur, vt de triennio in triennium Capitulum ge-
 nerale ordinis fiat, & in eodem titulo c. ne in agro

in Clement. circa finem mandatur in Concilio
 Viennensi de Capitulo prouinciali celebrando
 & Visitationibus Monachorum, Ante Concilium
 Constantiense quod fuit, Anno 1417. Capit. prou-
 incialia ordinis in prouincia Moguntina defe-
 cerant, Visitationes interierant, vnde grauem ia-
 cturam ordo sustinuit tandem iustaurata est qui-
 dem Capitulorum celebratio, sed multi adhuc
 in deformitatibus suis perseuerarunt, quos nec
 Capitula emollire poterant, nec quæ olim Car-
 dinali præstiterant iuramenta in cap. 12. De vlti-
 ma reformatione Bursfeldensi Regulam Benedi-
 cti vocat normam Disciplinæ scholam omnium
 virtutum, & ibidem addit. Sunt autem plura mo-
 nasteria, quæ ad vltimam paupertatem per mo-
 nachorum insolentiam detrusa, in remedium de-
 fectus temporalis reformationi concedunt in-
 gressum. & quidem satis iuste. Nam qui spiri-
 tualia bona negligit, temporalia bona meritò
 amittit, & quem in superbiam prospera erigit,
 dignum est vt contrariorum, ictu ad humilita-
 tem reducatur. Ad oculū videmus, quæ dicimus.
 Ecce monachi obseruantia regulari rebelles, &
 contrarij, in multa sæpe angustia viuunt; & cœ-
 nobia destruentes, in egestate continua conuer-
 santur. Sed cum causa martyrem facit non pœ-
 na: quicquid isti patiuntur aduersi virtutis deco-
 re priuabitur. Non enim propter Deum aduer-
 sa sustinent, sed propter voluntatis insolentissi-
 mæ libertatem, alloquitur tandem sacrum ordi-
 nem Benedictinorum. Tu ad puritatem Regulæ
 sacræ gressu tuorum dirigis, & quanto in obser-
 uantia

uantia regulari. ferues amplius, tanto in corporis necessarijs eius pietate abundantius cumularis. Sed caue ne tibi saturitas panis & otyum, materiam delinquendi præbeant. Te lucernis comparandam existimo, quibus si oleum desit, citò extinguuntur. Feruor deuotionis ex tēpore consumitur, nisi prouidentix & Disciplinæ fomentis quotidie renouetur. De tua perseuerantia quid dicam, O mater fructifera? Quamdiu credam subsistes? Cum præteritorum notitia plerumque futura metiamur, liceat mihi paululū, spei meæ ancoram in altum eleuare. Duo sunt, quæ mihi spem magnam de perseuerantia nostræ vnionis polliceri videntur. annale videlicet Capitulum & Visitatio monachorum. tandem adiungit aliam apostrophen ad ordinem professos. Ad vos, nunc patres venerandi, conuerto, vos successores nostros cōtestor, seruate ordinem in Disciplina, mores vestros ad normam sanctæ reformationis corrigite, mundum fugite, seruate castitatem, an hale Capitulum & consuetæ visitationis officium in robore suo excolite, quia quod duo oculi in capite faciunt, hoc agunt hæc duo in reformatione. Nam si oculos de capite videntis eruas, hominem coecum reddis & deformem: capitulum & visitationes si intermiseris, reformationem in nihilum redegisti. sed vereor ne post decessum reuerendissimorum Patrū, qui zelum habent disciplinæ & reformationem magnificè dilatarunt, iuentus noua sibi quærat concilia, statuta negligat reformationem contempnat. Scia quia exurgent multi, quales & nunc

in

in ordine surrexerunt, qui sancta Reformatione habebant exosam. Hi sunt, quos ex humilibus & abiectis Reformatio fecit excessos, leuansque de stercore, posuit in sublime, ditauit pauperes, ex miseris fecit gloriosos. Væ tibi, qui tantorum beneficiorum immemor, matrem sanctam te glorificantem, temeratè contemnis, agedum igitur vineam religionis per Disciplinam excole. cap. 13. inuehitur in persecutores sanctæ Reformationis & odia peruersorum, qui Disciplinam peruertunt. iam subiungitur in eodem opere liber Basilij Magni de Monachorum institutis siue Disciplina, ac sane recte additur in fine istius libri Basilij, quod sub præcedenti Regula sancti Basilij militarint omnes monachi Orientales seu graeci. In occidète etiam sub eadem regula fuisse dicuntur Carmelitæ & quidam Armenij nuncupati: qui modo sub alijs constitutionibus alij, alij sub regula Augustini degere affirmantur, subiunguntur in fine libri tres Regulae B. Augustini. sub regula Augustini militant omnes Canonici Regulares, fratres Prædicatores, Eremitani, Seruitæ, Ordo sanctæ Brigidæ, Ordo S. Hieronymi nouiter institutus ab Eugenio 4. Ordo Scopetiorum à Gregorio 12. ordinatus, Ordo S. Ioannis Hierosolomitani, Ordo Hospitaliorum S. Antonij, Ordo Cruciferorum omnes habitu & constitutionibus differentes. & in fine ponitur etiã Regula S. Francisci & Minorum cum explicacione Clementis V. seu eius declaratione super regula Seraphici patris Francisci in Concilio Viennensi. habetur ea declaratio in Clementinis de verborum

borum significatione. sub hac Regula militant soli Minores.

Ex Capitulo 5. Distinctionis septima Diffinitionum antiquarum Ordinis Cisterciensis.

Nullum bonum irnumeratum, nullumve malum relinquatur impunitum. Fratres ergo in culpa existenter de labore re maneant propter satisfactionem. Qui dum satisfaciunt toto corpore prosternantur ante gradū presbyterij à Kyrie-eleiso vsque post Deo gratias, &c.

Extra refectorium in loco quo Abbati visum fuerit secundum Regulā comedentes qui post refectorem Seruitorum cum alijs non eant ad bibendum neq; illi qui pro mensę versu tertio perdito in poenitentia sunt sed post alios in Refectorium eant.

Prior verò vel Supprior si in leui culpa fuerint officia sua in Ecclesia contando vel legendo, vel in benedictionibus dandis minimè exequantur.

De donis verò munusculus vel eulogijs vel literis nec dandis nec recipiendis à quacunq; persona sine licentia proprij Abbatis seruetur per omnia sicut in Regula continetur Transgressores verò ad minus in Capitulo verberentur, aut prout viderit Abbas modo delicti congruere poenitentia quantitatem.

Qui verò scienter de silentio infra Abbatiam vel foris rupto se recognouerit vel culpabiles inuēti fuerint vno die sint in pane & aqua & in Capitulo verberentur. Qui verò passim & de consuetudine fregerint, si læpius correpti non emendauerint;

dauerint;

dauerint: omni sexta feria sint in pane & aqua, usque ad congruam satisfactionem emendationemque; & ad nutum proprii Abbatis ultimi omnium habeantur. Studeant insuper Abbates Monachi & Conuersi, ut quando ad loquendum venerint, ipsorum colloquia grauitatem redoleant, & salutem respiciant animarum, Quicumque uero contra formam Ordinis præscriptam fecerint, aut scienter fieri permiserint, prout meruerint distri-ctius puniantur.

Si uero Monachus uel conuersus de Capitulo contumaciter exierit, & soluto Capitulo antequam fuerit extra portam humiliter penituerit in aliqua Domo extra terminos in regulari habitu teneatur, sequenti Capitulo in ultimo gradu recipiendus, & restituendus ad Abbatis proprii uoluntatem.

Ibidem.

Sed si quid in Abbate uel Abbatia fuerit corrigendum, & Abbas id ad mentionem Seniorum corrigere noluerit, Visitatori reseruetur. Quod si quis transgressus fuerit, nouissimus erit omnium per annum & omni sexta feria sit in pane & aqua & nihilominus in Capitulo uapulet.

Cap. 6. Distinct. 7.

Cum ergo aliquis graui culpæ subditur accipiat in ipso iudicio disciplinam, deinde iniuncta ei poenitentia grauioris culpæ ponens statim Caputium in capite exeat de Capitulo in locum quem competere uiderit ei Abbas, deputeturque ei senex discretus ad solatium qui eum consoletur, & prouocet ad humilitatem, ne ampliori tristitia
absor-

absorbeatur, & sicut dicit Regula oretur pro eo ab omnibus iniungaturque pro eo in Cap. oratio specialis. Debet autem Abbas attendere & corporis valetudinem, & etiam culpæ modum, nam secundum hoc debet extenuari poenitentiæ & gravari Refectionem autem solus accipiat mensura & hora, qua viderit ei Abbas competere.

Conspiratores verò & incendiarij fures & Proprietarij singulis annis in Die palmarum post habitum in Capitulo Sermonem, illis qui non sunt de ordine nostro prius emissis, ab eo qui præest Capitulo cum stola & candela accensa & baculo pastorali si Abbas fuerit Authoritate Dei Omnipotentis patris & filij & Spiritus sancti & B. Mariae & omnium Sanctorum & totius Ordinis excommunicentur.

Omnes quoque personæ Ordinis, quæ processum Visitorum suorum aut Iudicum a Generali Capitulo concessorum in visitationibus electionibus, ordinationibus, correctionibus seu executionibus impedierint, vel ipsis Visitoribus, aut Patribus Abbatibus procaciter & proterve se opposuerint, aut ista factis consentierint, per se, per alios literas, preces, minas insidias, vel auxilia potentum aut sæcularium procurando eadem die per Ordinem vniuersum excommunicationis sententia percellentur. & in prolatione sententiæ cum cæteris exprimantur.

Qui vero in Monachorum vel Conuersum manus violentas iniecerit (quia ipso facto excommunicatus est) ab omnibus cautius euitetur, donec ab Abbate, vel priore in eius absentia,
vel

vel

vel priore absente à Supprieore, vel vtroque absente à locum tenente, si Abbas ita ordinauerit, absoluator. Huiusmodi percussores seu manuum iniectores secundum Abbatum arbitrium decernuntur à Capitulo generali carceri mancipari, Officiales verò talium defensores seu fautores ab officijs deponi, nec vltius tam illi quam isti ad officium aliquod promoueri.

Qui verò in Abbatē simili modo manus intulerit, si ipsum detinuerit, detineri mandauerit vel procurauerit, expulerit egressam vel ingressam negauerit sententiæ Conspiratorum per omnia subiacebunt, nō nisi à summo Pontifice super iniectiōe & detentione manuum absoluedi, & nihilominus carceri mancipentur.

Qui verò eidem Abbati verba iniuriosa vel minas intulerit pœnæ Conspiratorū decernitur subiacere. Et hæ supradictæ pœnæ iniuriarum Abbatibus seu Senioribus illatarum extenduntur ad Ordinis Moniales.

In singulis quoque Abbatijs Ordinis tam viro- rum Mouachorum quam Monialium in quibus fieri poterit firmi ac fortes carceres habeantur, ubi ad arbitrium Abbatis retrudantur & detineantur indiesibili vicio laborantes, fures Incendiarij homicidæ, secundū quod sua exegerint crimina.

Cap. 7. Distinct. 7.

Si quis igitur de ordine nostro instigante Diabolo homicidium perpetrauerit si personam nostri Ordinis occiderit, occidi consenserit vel procurauerit, vsque ad mortem sub artificissima custodia

dia & districtissima pœnitentia teneantur. Si vero sæcularem personam vel alterius ordinis interfecerit, & sine periculo & graui scandalo in domo propria, non poterit retineri, ad domum remotissimam emittatur, in qua similem pœnam perpetui carceris cum expensis propriæ Domus sortiatur.

Si verò mutauerit aut alio quocunq; modo percusserit, secundum qualitatem culpæ, correctionis in eum mensura taliter extendatur quod cæteris transeat in terrore.

Qui verò sine proprij Abbatis licentia ex rationabili causa & manifesta necessitate obtenta arma ferre, vel penes se habere præsumperit ad arbitrium Abbatis grauitè puniatur.

Qui autè minatur incendiū vel homicidium, nisi in breui resipuerit, incarceretur, vel ad domum remotissimam emittatur non nisi per Capitulum Generale reuocandus.

Qui verò conuictus fuerit aut publicè confessus quod Sortilegium fecerit si Abbas fuerit deponatur. Si Monachus vel Conuersus sex diebus, duobus eorum in pane, & aqua faciat leuem culpam & per annum vltimus omnium habeatur.

Monachus quoque vel Conuersus in furto vel proprietate deprehensus per annum ad minus vltimus omnium erit & vltra quantum Abbati visum fuerit, & omni sexta feria per annum sit in pane & aqua, &c.

Cap 8. Distinct. 7.

Quæcunq; verò persona Ordinis nostri alteri personæ Ordinis malitiosè detraxerit, vel super

Kk

excessu

excessu iam emendato vel emendando expro-
uerit. Si Monachus super conuictus fuerit tribus
diebus vapulet in Capitulo & per mensem vlti-
mus omnium habeatur. Si verò Conuersus: sex
diebus continuus ad terram comedat, pane & a-
qua, vt vno pulmento contentus, & tribus diebus
in Capitulo Conuersorum verberetur.

Qui verò Superiori suo detraxerit, vel modo
prænominato exprobauerit grauius puniatur, se-
cundum quod in gradum peccauit altiore, Mo-
niales verò & Conuersæ in casu consimili, pœ-
nitentiam sustineant Monachorum.

Si quis autem alteri crimen imposuerit, quod
probare non possit eandem pœnam sustineat, quæ
meruisset accusatus, si impositum sibi crimen
posset comprobare.

Qui verò libellum infamiæ scripserit, recepe-
rit, retinuerit vel in medium proiecerit, proieci-
curauerit, vel per quamcunq; Donum transiens,
vel à quocunq; audiens criminā cuiuscunq; vel
vitia scribere, vel scripta recipere, siue secum
portare malitiosè præsumpserit: tam scribens
quàm recipiens, quam etiam tradens, portans,
vel retinens, seu prædicta quoquomodo fieri pro-
curans excommunicationi subdatur, & super his
si deprehensus fuerit, vel conuictus à Domo pro-
pria eliminetur, non nisi per Capitulum genera-
le reuersurus, Prior vel Supprior ex quibus po-
tissimè pax & perturbatio Domus pender, qui
talia sustinuerint vel dissimulauerint, pœnam su-
stineant leuis culpæ.

Nullus quoq; de ordine nostri pro carnali con-
tagio

tagio de cætero emittatur. Sed quicumque deprehensus fuerit, vel conuictus, si Monachus fuerit ablato ei habitu vltimus omnium etiam nouitiorum per decennium ubique habeatur, & teneatur ad omnes obseruantias regulares.

Quicumque etiam Monachus vel conuersus de Monasterio Grangijs vel Cellarijs Ordinis inordinatè de nocte exisse conuincitur, tanquam deprehensus in manifesto carnis contagio puniatur.

Ad detestationem autem & abolitionem indicibilis vicij propterea in filios diffidenciæ venisse legitur ira Dei. Statuitur, vt si aliqua persona nostri Ordinis inuenta fuerit hoc vicio pessimo laborare, & fama contra ipsum à retroactis temporibus inualescit, si duo vel tres fide digni de nostro ordine deposuerint contra ipsam personam, licet in testimonio fuerint. Non minus pro legitimis testibus habeantur, & contradictum criminofum tanquam conuictum probabiliter, secundum rigorem Ordinis procedatur. De signis autem turpibus & notabilibus huius vicij, si qui culpabiles inueti fuerint, teneantur in cathenis sine habitu regulari, & absq; rasura barbæ in loco ab alijs segregato. Si tamè super clusis articulis per fide dignos & per famam vt superius dictum est legitimè fuerint comprobati. Quicumq; vero pro vicio huiusmodi iam sunt carceri mancipati in eodem sint vsq; ad vltimum vitæ suæ. Cæteri vero quicumque super hoc vicio de cætero legitimè conuicti sunt, seu publicè confessi ablato eis habitu perpetuò carceri mancipentur.

De Capellariis quoque Monialium nostri Ordinis. Si quis cum Monialibus vel Conuersibus deprehensus fuerit carnaliter deliquisse, ablato ei habitu ab Ordine penitus expellatur. Nec in eodem Monasterio, vel alibi in Ordine in perpetuum licentiam habeat remanendi.

Distinct. 8. Cap. 5.

Quicumque verò Monachus vel Conuersus pro Abbatis creatione visitatione, correctione vel aliqua Monasterij ordinatione Principes vel potentes adierint, & eorum preces auxilium vel literas impetrauerint, vel personas quascunq; quæ non sunt de Ordine nostro adhæc euocauerint, vel vocari consenserint, sint eo ipso excommunicati, & deprehensi à domo propria eliminentur sub poena Conspiratorum. Abbates etiam qui similia fecerint, vel fieri consenserint, eo ipso pro depositis habeantur. Lucius tertius Pontifex sub poena depositionis mandat omnibus Abbatibus Ordinis Cisterciensis, ne quid agant vel statuunt, contra Ordinis instituta. Quod si secus fecerint hoc edicto irritum sit, & ipsi Abbates depositi sint & pro Depositis nuncientur.

Alexander 4. tit. 5. Confirmat omnes libertates & consuetudines Ordinis Cisterciensis.

Idem. Nullus Diocæsanus aut alius Prælatus visitationes exigere præsumat.

Gregorius Archiepiscopus, Episcopus Archidiaconus vel quiuis alius Prælatus se non immittat in electionibus Abbatum Ordinis Cisterciens. vita vel moribus.

Hono-

Honorius 3. mandat vniuersis Ecclesiarū Præ-
latis vt conseruent Priuilegia ordinis Cistercien-
sis. Idem etiam mandat. Innocentius 29.

Innocentius 8. inhihet personis ordinis extra
ordinem appellare, neque ad sedem Apostolicā,
& officialibus vniuersis Curie, nec non legatis &
Nuntijs Apostolicis causas appellationum audi-
re prohibet, Oppositum si fiat irritū declaratur.

Ex Ordinario diuini Officij.

Ab Octaua Epiphaniæ vsq; ad Pascha, Et ab O-
ctaua Pentecostes vsque ad Natiuitatem Domi-
ni Priuatis diebus, exceptis infra Octauas Sacra-
menti, visitationis, Assumptionis & Natiuitatis
Mariæ post primam in Hyeme, & post Laudes in
Aestate recipimus disciplinas. Conuersi verò so-
lummodo sextis ferijs.

Obserua Correctorium est locus inerior carce-
re, cui inclusi religiosi soli in cubiculo poeniten-
tiam impositam peragunt, vocari potest & inclu-
sorium ab includendo, antiquus mos piorum o-
mnium olim & non solum religiosorum ad cer-
tum tempus peragenda poenitentia causa & di-
sciplina in seipsum seuerè excrucienda seipso vo-
luntariè etiam in secreto aliquo cubili include-
re & recogitare in amaritudine animæ omnes,
dies vitæ suæ. Fortunatus Radegundem versibus
cōmendat ab hoc pientissimo exercitio ante an-
nos mille & centum Viguit talis Disciplina ma-
ximè in septimana sancta ante Pascha & initio
Quadragesimæ & in die Coenæ domini poenitē-
tentes enim eijciebātur feria 4. vide Cinerum &
quasi includebantur rursus in die Coenæ Domini

D. Ioannem Beletb in feria 4. Cincrum privilegiatur.

Ecclesiam recipiebantur. De his Disciplinae poenitentialis antiquitatib. plurima inuenies apud Victorium Amerinum in 2. libris de antiquis poenitentijs. De ordine & reconciliatione poenitentium Isidorus in Decretis lib. 11. c. 124. Iuo in Decretis Parte 15. cap. 45. & 40. vide etiam in 4. Parte Pontificalis Colonienfis. folio 162. Ordinem poenitentium. in cap. ieiunij & consule ordinem Romanum de Diuinis Officijs. feria 4. in capite ieiunij & Albinum Flaccum lib. de Diuinis officijs cap. 13. & librum antiquum Coloniae editum. Anno 1530. apud Ioannem Soterem qui inscribitur Ritus & obseruationes antiquissimae olim circa poenitentes, eosque, qui pro delictis ab Ecclesia Dei eliminandi essent olim diligenter & sedulo obseruatae.

CAPVT XII.

De Disciplina Carthusianorum.

Ex noua collectione Statutorum Ordinis Carthusiensis omnia quae prius erant confusa ordinatè disposita complectente. Parisijs Anno 1582.

In ca. 22. partis 2. de Capitulo generali praecipitur iterum atque iterum, ne quicquam ordinetur per quod antiquus rigor minuatur aut relaxetur, si quis contra fecerit tanquam rebellis est à Capitulo puniendus. in Diffinitorio à Diffinitoribus corrigitur charta. quando ambo visitatores vnius prouinciae ad Capitulum generale venire non possunt, debent vnum ex alijs Priorib. suae prouinciae cum chartis & statu illius & de singulis sufficienter instructum mittere. Priores pro-

strati